QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM, die Iouis XVII. Ianuarij.

M. CAROLO LE BRETON, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An febri fluente aluo venæ sectio? (1°)

I.

SANGVIS est apparatus vtilis alendo corpori, non cessant venæ illum excoquere & augere, nisi cum plenæ ipso & nimium distentæ non difflantur, tum amissa naturali temperie, onere graues & imbecillæ non modo illum non perficiunt, sed nec vindicant à putredine. Sic sanguis natiuum decus exuit, sic fit corpori inutilis & qui fuerat sanitatis parens tandem fit causa morbi. Nec dum tamen morbus emicat nisi cum venarum intemperies similem inussit visceribus, cujus vi prauorum succorum colluuies succrescens & ab infractu conflagrans in venas immigrat: sic morbi per partes geniti toti repente prodeunt leues, acuti, mites, maligni, simplices & impliciti ex varia putrescentium excrementorum conditione, vt ab eorumdem diuerso motu alia statim initio morbi apparent symptomata & alia etiam grauiora in progressu subnascuntur. In hunc morbi vel cujusque humoris motum acriter animum intendat medicus, quam sit præceps vel lentus, vt pari modo & apto tempore depromat remedia. In primis ne cunctetur præsentissima decernere in omnibus acutis neue putet vllum seligi posse venæ sectione promptius aut validius quo possit morbos istos simul & eorum symptomata velut vno ariete demoliri.

(1°) Suivant le Catalogue de Baron, cette thèse est la 1re de 1664. Elle devrait être la [illegible] de ce volume, et ne pas séparer la thèse 65 de la 67e, qui doivent se suivre.

1664. [illegible] 1663. [illegible]

II.

LEVIORES morbos natura ſanat jejunio & pepaſmo. Interdum acutos profuſa excretione ſanguinis per nares, vterum & anum, in his ad naturæ imitationem ſua conſilia dirigens ars medica ſanguinem ſectâ venâ haurire nuſquam metuit neque illam à propoſito dimouent oborta ſymptomata quæ ſagaci conjectura deprehendit ab iiſdem cum morbo cauſis proueniſſe, quocumque modo ſæuiant illa, & ægrum fatigent modo non prorſus collapſis viribus properabit naturam onere oppreſſam & debilitatam ſubleuare miſſo ſanguine. In cardiogmo & cholera morbo empiricus confugit ad confectiones theriacales & cardiacas incaſſum vel etiam majore damno ſeu eas propinet ſeu tantum admoueat: tu ſtatim atque acceſſeris ad ægrum ſi morbum agnoſcis etſi pulſum exilem vix percipias fidens animi venam tunde, ſic moribundo ſimilem ad vitam reuocabis præter ſpem omnium. Id audere medicos longus artis vſus docuit, & prægnantes quoque plethora vel acuto morbo laborantes ſecta pluries vena multo tutius quam amuleto ab aborſu vindicare. Ipſa natura in omni ſanguinis profluuio ſponte ducto ferme medici opem efflagitat & ſæpiſſime in menſtruis mulierum, vt ſi parcius fluant magis prouocentur & vbi modum non ſeruant nec fluendi finem faciunt vt inhibeantur ſanguine in diuerſum deducto. Itaque apage futilem Arabum opinionem ſubinde nobis increpantium ſanguinem frænum eſſe bilis quaſi vero bilis non eſſet incendii ſtimulus, & ſanguine educto, ipſa quoque non educeretur.

III.

SANGVIS ſuaui & humido calore ſe fouet ſeque tuetur ab omni vitio immunem quandiu libera eſt tranſpiratio per ſpiracula toto corpore ſparſa, ſin vero calorem ſuum ſinat ab alieno corripi & ſuperari incipit putreſcere. Calor omnis alienus in nobis tralatitius eſt ab excrementis quæ majoribus admiſſa venis & arteriis ſi fumo ſuo vel fuligine cor percellant producitur febris morbus totius corporis plerumque acutus ſcilicet cum ſe putredini adjicit immodicus feruor vſtionis vel ebullitionis. Is feruor nihil aliud eſt quam motus ſanguinis aſſiduus vehemens celer à calore bilis excrementitiæ vel ichoris corrupti: illa ab æſtuante cyſti genita: hic vero à liene fermentato ſecretus vbi alteruter vel vterque ſeſe effundunt in venas feruorem illum addunt ſanguini; tum naturale ſerum ebulliens facile ſe ab eo exoluit nec multo poſt ſanguis ipſe à reliquis humoribus congenitis ſecernitur,

interdum ruptis fibris liquitur in saniem versus, vel à bile torrida exardescens dissipato sero aduritur & ἄκρητος saturato rubore splendet. Ab vtrisque cum putredo ad summum venit fiunt malignæ febres, sine illo putredinis excessu ardentes dolore capitis & delirio stipatæ. Sed tenuis & aquosus sanguis vtplurimum febres parit quas infestant comata & fluxio omnis generis, quæ plurima venit cum biliosa & serosa venarum illuuies orgasmo efferæ feruntur nec jam se continent earum alueo. Tum enim laxatis humido impluuio venularum osculis torrentis in morem rupto obice prorumpunt & varias corporis partes inundant nempe habitum corporis vel caua viscerum at sæpissime in hepar & intestina vnde frequens aduenit febribus alui profluuium.

IV.

HVIVS profluuij in febribus causæ sunt, critici quidem naturæ robur & excrementa quæ quanquam plurima sint, mitia tamen & inflammationis expertia. Symptomatici vero causa est vis morbi & feritas humoris qui naturam proritat ad excretionem. Est ne insuper innata corporis particulis facultas ab ipsis diuersa qua vicissim vna post aliam bilem & serum acres succos ne se lædant pro se quæque summa vi depellant? An potius innata bili mobilitas adaugetur crescente morbo, quo tempore plurima vndique succenditur fuligo? Sane Rheumatismi hujus tam citato motu oberrantis hæc vna causa potior mihi visa est æstus & fermentatio sanguinis bile & sero conspersi. Perspectum est omnibus, febris & seri biliosi mutuam esse generationem hoc indicio quod incremento febris vel redeunte paroxysmo statis periodis sæpissime aluus profluat serosis & biliosis. Quis dubitet tum temporis efferuescere bilem, & serum à sanguine secerni, despumare, eructari à venulis & tandem ex habitu corporis refluere ad hepar & venas mesaraicas qui foci sunt febrium præcipui in quibus assidue cuduntur & conduntur feruida illa excrementa fomites febrium pariter atque profluuiorum? Pro certo habeo nullum fieri nostro in corpore humorum transfluxum seu transitum à parte in partem qui par sit fluxioni concitandæ quin prius exoriatur feruor in sanguine, sed vt nullus feruor sine febre micat nostro in corpore ita nulla in ægris sine febre & feruore oritur insignis excretio neque ipsum alui profluuium; nam vel criticum præuertit critica perturbatio qui feruor quidam est. Hoc vero criticum profluuium soli naturæ committendum est, symptomaticum vero artis opem reposcit.

340

V.

FEBRICITANTEM si profluuium alui fatiget & debilitet eo maturius de illo sistendo cogitet medicus quo propius periculo. In id ars nulla est venæ sectione promptior aut tutior : hæc vtrique scopo consulit vna & eadem opera febrilem feruorem compescens simulque alui profluuium. Cum natura geminam vacuationem recuset si fluant in aluum sanguis, serum, aut bilis, aperta cubiti vena momento reuellet & quidem sine periculo refluxus qui imminet à remediis astringentibus. Sanguinem mittere nullus renuit medicus in hæmorrhagia profusa, immoderatis menstruis vel hæmorrhoidibus vel in dysenteria, cur in diarrhæa præsertim cum febre ? Quo in casu multo major instat necessitas sanguinem mittendi : Id agere nos vetant medicastri, hunc illis metum intulit textus Galeni male intellectus, quæ hallucinatio multa hominum millia pessundedit. At saltem inspicerent naturæ solertiam & quanta virium suarum fiducia causarios vtriusque sexus à morbis quamplurimis & ab ipsa morte redimat profuso vbertim sanguine per hæmorrhagiam, vteri effluuia & dictas hæmorrhoidas toto vitæ decursu fluentes & per dysenteriam quod sæpius visum in mutilis. Est crede mihi restibilis fæcunditas progignendi sanguinis in humido partium solidarum & viscerum. Hîc conditur opulentum tuendæ vitæ penu non in venarum sanguine qui tantum futurus est nutritius, nec dum nutrit. Eductam è venis saniem puri vel albo glutino similem sanguinem esse putas, verius dicam ego chylum esse indigestum aut pallidam bilem recocto mixtam phlegmati, an hæc sint nutriendo ? His refici sustineant viscera ? Imo effundi è venis antequam impuritate sua noceant. Idcirco amant impura corpora iterato persæpe neoterismo recreari per epaphæresin quæ ratio est nouandi corporis tutissima cum vires non demoliatur sed instauret conferente ad id succi melioris adjectione : sic vbi febricitantes pleonexiâ serosâ vel biliosâ laborant nisi fiant alternis partita vacuatio & additio perseuerabit febris & vna alui Rheumatismus.

Ergo febri fluente aluo venæ sectio.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Robertus Patin.	*M. Ioan. Armand. de Mauuilain.*	*M. Antonius Charpentier.*
M. Michaël de la Vigne.	*M Bertinus Dieuxiuoye.*	*M. Franciscus Pijart.*
M. Petrus Perreau.	*M. Stephanus Bachot.*	*M. Franciscus Bo jmnier.*

Proponebat Lutetiæ PETRVS LEGIER Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LXIV.

1151.